



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Rigidum contra Catholicos Edictum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

& uno hostiū cuneo liberata, tanto melius Catholicos primatum ipsius oppugnantes, extirpare possent. Mense Octobri Hattonus regni Cancellarius, extremum vitæ diem clausit, corde quidem Catholicus, sed qui totum Regiæ se dederat, cui dū placere studebat, in hæresis malis actis animam diabolo sacrificavit. Puritanos ille cane peius & angue oderat, sed ambitione excæcatus, ceteris Protestantibus facile sese accommodabat. Puritanorum vero præcipuus fautor & patronus erat Huntingtonæ Comes, optimi Cardinalis Polipellimas pronepos, ad regnum hæreticorum opem acquirendam aspirans.

Mortuo Hattono Cancellario (quod fuit XVII. Octobris) postmodum regina Edictum ceteris quæ hætenus exierant multo rigidius contra Catholicos publicari iussit: quod nonnulli multo aere conceptum, sed quo minus promulgaretur, à dicto Cancellario impeditum fuisse dicunt, eam præcipue ob causam, quod eius auctor Cæcilium regni thesaurarius putaretur, à quo Puritanos quos oderat foveri non ignorabat. Harum vero legum duo sunt genera. Aliæ enim sunt pecuniariæ: aliæ capitales.

#### Leges Pecuniariæ.

1. Quicumque sedecim annos natus Protestantium concionibus & divino servitio interesse recusaverit, singulis mensibus vicenarum librarum Anglicana moneta (id est, septuaginta scutatos Gallicos) multam persoluto. Qui in ere tantum non habuerit, eandem in carcere detineatur quoad persolvere queat.
2. Missæ, etiam secreto, interfuisse convictus, totum annum in carcere detineatur, nec prius etiam post id tempus emittatur, quam centum & undecim scutatos persolverit. Sacerdos vero qui Missam celebravit, eandem & ipse detineatur, nec prius dimittatur quam quadringentos & viginti duos fisco regio penderit seu scutatos: idque tot vicibus quot Missam celebrasse fuerit convictus.
3. Nulli Ecclesiastico qui religionem Romanam & Papæ auctoritatem non publicè eiserit, ullum beneficium possidere fas sit.
4. Qui eandem abiurationem non prius fecerit, ad nullum publicum munus administrandum admittentur.
5. Nullus scholarium aut litteratorum in Collegiis locum habere poterit, nisi prius in ingressu, vel gradu susceptioe Papæ in causis Ecclesiasticis auctoritatem eiserit.
6. Pupilli hæreditatem adire, aut fructus bonorum percipere non poterunt, nisi publice prius iuramentum hoc præstiterint.
7. Qui supra Baronatus sunt dignitatem, & ad comitia vocari solent, nullum suffragij ius habeant, nisi Papa auctoritatem prius eiserint.
8. Si quis horum iuramentum hoc præstare: secundum recusat, omnibus bonis multatus ad perpetuos carceres condemnatur.
9. Qui Regiam supremam Anglicana Ecclesia capuisse negaverit, eandem pœna afficitur.
10. Qui munuscula illa consecrata, Agnus Dei rosaria Crucifixi imagines, & alia similia in Angliam intulisse apprehensus fuerit, omnibus bonis multatur, & perpetuo carcere detinetur.
11. Qui pedagogum domi sue habuerit Protestantium conciones & sacra non frequentantem, aut à Calvini Episcopo non approbatum, singulis mensibus tricenos ternos scutatos persoluto, quam diu eum secum habuerit.
12. Qui noverit aliquem cuius opera alius eum Catholica Ecclesia reconciliatus sit, aut reconciliatorem illum iuverit aut celarit, nec nomen eius ad magistratum detulerit, omnibus bonis multatur, & in regine potestatem persona ipsius traditor.
13. Qui alteri suaserit ut ad Romana Ecclesia unitatem redeat, etsi id non procurarit aut effecerit, eidem pœna obnoxius esto.
14. Qui auctor alteri fuerit, ut in causis Ecclesiasticis Papa obediat, aut talem adiuverit, eandem pœnam luit.
15. Qui noverit aliquem qui persuaderi sibi passus sit ut Papa velit obedire, aut in futurum obedientiam promiserit sine hac in re ullum auxilium præstiterit, nec nomen eius intra vicissimum diem ad magistratum detulerit, eadem pœna afficitur.
16. Qui sacerdotem noverit, qui alteri absolutionem dederit, aut illum iuverit vel celarit, eandem pœnam subito.
17. Sacerdos qui absolvendus à Papa habet potestatem licet eam non exerceat, eadem tamen pœna patitur.
18. Qui talem potestatem habere se iactaverit, etiamsi non habeat, nisi rem ipse aperiat eandem pœnam patitur.
19. Itemque, qui absolutus fuerit, etiamsi id non petierit.
20. Qui religionem in Anglia iam usitatam contempserit.



serit, eo sine ut alios ad Romani obedientiam Pontificis adducat, vel hoc ipsum effecerit, aut alij persuaserit ut quemcumque alterum ad Romanam religionem adducere conetur, eius bona fisco regio cedunt.

Sequuntur leges Capitales,

1. Quicumque dixerit, scripserit, aut quocumque modo etiam rogatus confessus fuerit, Pontificem Romanum Anglicana ecclesia caput esse, aut quancumque in id regnum potestatem habere in rebus Ecclesiasticis, reus sit Criminis lese Maiestatis, & tamquam proditor puniatur.
2. Eiusdem criminis reus esto, qui ad Pontificem Romanum provocarit, & Pontificias Bullas in Angliam Roma attulerit.
3. Item qui sacra illa munuscula, qualia sunt Agnus Dei, rosaria, calculi benedicti, aut alias res eiusmodi consecratas in regnum apportarit.
4. Qui tertium requisitus, Pontificiam auctoritatem etiam & supremam in causis Ecclesiasticis regina potestatem agnoscere recusarit, eiusdem criminis reus esto.
5. Nec non qui Reginam schismaticam aut heticam esse dixerit scripserit, aut alio quocumque modo asseruerit.
6. Qui quamcumque personam ad Romana Ecclesia unionem reduxerit.
7. Qui eidem reconciliari se passus fuerit.
8. Qui cuiumque persona cum Romana Ecclesia reconciliationem procurarit.
9. Qui cuiumque ut se reconciliat, auctor fuerit, etiamsi eam reconciliationem ipse non procurarit.
10. Qui alteri persuaserit, in rebus Ecclesiasticis Papa obediendum esse.
11. Itemque illo qui persuaderi id sibi passus fuerit.
12. Et qui ut alij id persuadeatur procurarit aut consilium dederit.
13. Qui posthac in Pontifici futurum se obedientia promiserit.
14. Quicumque sacerdos Regina subiectum absoluerit.
15. Qui absolventi in Anglia potestatem habuerit, etiamsi ea non utatur.
16. Qui eam potestatem habere se iactarit, etiamsi non habeat.
17. Qui a sacerdote vel praua vel non praua petitione absolutus fuerit.
18. Qui aliam absoluit procurarit.
19. Qui consilium dederit, etiamsi absolutionem non procurarit.

20. Qui ut alium qui absoluat, consuluerit aut procurarit.

21. Qui a religione in Anglia iam vigente alium dehortatus fuerit, eo sine ut Pontifici praestetur obedientia.

Ecce tibi omnium quae umquam fuerunt, iniquissime in Anglia de religione & rebus Ecclesiasticis latae leges: quae etsi ruinoso admodum, vel nullo potius nitentur fundamento, seueritate tamen in transgressores facta inquisitione, multo seuerius ac crudelius exsequutioni demandatae fuerunt. Supplicij vero forma sic habet. Dam-natus crati supinus impositus, ad supplicij locum productus, & collo in laqueum inserto aliquam diu ad patibulum suspensus, inciso fure semivivus demittitur: mox sententi adhuc virilia absciuntur, inde aperte ventra intestina extrahuntur, & in ignem proijciuntur. Tandem amputato capite, corpus in quatuor partes dissectatur, eaque celebrioribus, urbis locis horribili spectaculo suspenduntur: bonis interim omnibus fisco addictis, & si nobili sint familia, Nobilitatis insignibus destractis. Vides, quod nihil profecto crudelius est haeretico in alios potestatem habente, utpote in quibus nihil omnino est Christianae humanitatis: qua feritate ita sunt imbuti, ut si Catholici deficiant tunc eadem in seipso quoque grassentur. Novi isti Nerones & Christiani nominis persecutores in Anglia Catholicorum sanguinem ita sitiebant, ut eo tinctus Tamesis saepe colorem mutarit. Interim tamen iidem cum Catholicis quos funditus extinctos cupiebant, multo quam erat mitius agi clamabant. Quod si mille novorum tormentorum suppliciorum formas, tum infinitam hominum ob Catholicam religionem varijs cruciatibus sublatorum multitudinem enumerare hic velim; quavis Hiade manus, & cui nihilominus quotannis accessio aliqua fieri posset, opus mihi molendum foret. Neque inter barbaras Indorum nationes, neque apud Margaiates & Toupinabautios, neque inter Turcas & Arabes unquam tot tamque crudelia facinora designata leguntur, qualia in Anglia inter Christianos, si modo Christiani dicendi sunt quorum crudelitas & tyrannis nullo modo satari potest.

IV. Verum ut ex quamplurimis paucos aliquot recenseam, Anno MDLXXVII. Cethbertus Magnus presbyter, primus ex seminarijs Anglicanis martyrium obiit. Anno sequenti Ioannes Nelsonus